



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

§. 94. Bohemorum Fœdus ad conservandam libertatem suam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

§. XCIV.

Sæc. XVI.  
A.C. 1547.

*Bohemorum Fœdus ad conservandam  
libertatem suam.*

Nihilominus Bohemiæ Nobiles, nec *Sleidan.* &  
non Pragenses incolæ missis itidem *Thuan.* l.c.  
Oratoribus Romanorum Regem urge-  
bant, ut Ordinum comitia ad vigesimam  
Martii diem indiceret: cum vero Rex  
iis, quæ Lætmericiæ fuissent acta, in-  
sisteret, & ab eis, ne quid interim novi  
molirentur, posceret: id unum ab eo  
impetrare poterant, ut die octava Apri-  
lis Pragæ Ordinum conventus ageretur,  
ea tamen lege, vi cuius illi interea ne-  
quaquam privatim congregarentur. Ve-  
rum vix quarta a datis hisce literis di-  
es effluxerat, cum se a Ferdinando de-  
cipi dicerent, ac commune fœdus sub  
libertatis tuendæ prætextu inirent. Po-  
stea conditis militaribus statutis Caspa-  
rum Phlugium Belliducem constituunt,  
eiusque Imperio triginta peditum, e-  
quitumque duodecim millia in cunctis  
Regni locis conducta subjiciunt. Ea-  
propter Ferdinandus, Mauritius Dux,  
& Augustus ejus frater quantocius Bo-  
hemiam quoque infestis armis invade-  
re cogebantur, cum vero hac de re in-  
colæ quererentur, ac Duci ejusque fra-  
tri præciperen, ut illico, quin ullum  
infer-

Sæc. XVI. inferrent damnum, sese reciperen, ni  
A.C. 1547. vero id facerent, se consilium ex tem-  
pore capturos minitarentur, hinc Rex  
dissimulata indignatione eis respondit,  
non esse, quod de exteris copiis in ip-  
forum fines introductis quererentur, non  
id perverso factum consilio, sed unice,  
ut adventanti Imperatori sese facilius  
conjugere posset: posthac ipsos Pragen-  
ses, perinde acsi electus in Regno ha-  
biti caussam ignoraret, admonuit, ne  
sumptibus minime necessariis se, suos-  
que populares gravarent, cum aliunde  
Saxonie Elector jamjam recessisset.

## §. XCV.

*Albertus Brandenburgicus ab Electore  
Saxonie cæsus, captusque.*

*Sleid. p 657.* Enimvero Saxonie Elector ineunte  
mense Martio Aldeburgo prefectus  
Albertum Brandenburgicum, qui Roch-  
liciam tuebatur, aggredi statuit, ac  
prima diei luce certamen utrinque a-  
trox committitur: cum vero urbem tor-  
mentis quatere, atque irruptionem ten-  
tare Saxo juberet, præfidiarii ditionem  
facere compellebantur, polliciti, se per  
integrum semestre nullo pacto in föde-  
ratos arma sumpturos. Hæc nonnisi  
levia erant hujus expeditionis commo-  
da; quippe majoris longe momenti erat  
capti-